

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Carmina in laudem B. Mariae Virginis multorumque
sanctorum**

Brant, Sebastian

[Basel], [nicht vor 1494]

Verba angeli ad Mariam

[urn:nbn:de:bsz:31-290354](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-290354)

Quicquid erit clemens humilem deus aspice seruā
Fiat & ancillę / quod placet vsq; / tuę.
Nescio quid certe est: animus presagus: adornem
Ut thalamū suadet / hospiciūq; deo.
Attamen auscultem: neq; enim sine numine diuū
Affore te credam: nunciā leta refer.
Incipe: turbatos animos solare puelle:
Et loquere & benedic: mollia verba ferens.

Verba angeli ad Mariam.

Missus ab excelsis: thalamū pia virgo pudicum:
Virgineūq; tuum pacifer ingredior.
Plena quidem es donis: celesti & mūere habūdās.
Et tecum dñs regia mater Aue
Nec timeas placuit tua forma Mariā / potenti
Credere deo: paries quem vocat ipse Iesum.
Quippe dauid patris / regnoq; & sede gubernans:
Inq; domo Iacob perpetuo ille reget.
Neu turbere animo: neue exhorresce salutem:
Te quia delegit rexq; deusq; poli.
Nec tibi sit mirum: si nuncio te fore matrem:
Cognita cum nulli sis pia virgo viro:
Gratia nempe dei tua viscera sancta replebit:
Teq; superueniet spiritus ipse dei.
Te vel inuibrabit diuino numine: virtus.
Pneumatis: & mater diceris esse dei.

A iij

Nascetur pulchra de te vel origine magnus
Filius: hic patrem nescit esse solo:
Sed patre ab æternoq; ante omnia sæcula natus
In tua delapsus viscera: fiet homo.
Ille hominũ varios discet sufferre dolores.
Desinet & per eum fons & origo mali.
Ecce etiam Elizabeth cognata / ætate senili
Concepit: sterilis cum tamen illa fuit:
Hic quoq; sextus adest mensis / quò tpe primum:
Insignem puerum semine patris habet.
Non equidẽ graue erit sup̄o verbum omne tonãti
Qui cito perficiet quicquid vbiq; volet.
Ecce ancilla dei si dixeris: & mihi fiat
Quicquid ais: clauso corpore / mater eris.
Deinde deũ pariterq; hominẽ / producere in orbẽ:
Mensibus exactis: te deus ipse iubet.
Iamq; Vale & sicut mater dilecta vocaris:
Sponsaq; / tu templum / consiliũq; dei:
Sic miseris patrona reis: sic redde benignũ
Filiolum miseris propiciũq; tuum.

Virginis effigiem qui transis amice viator:
Non dedigneris dicere mater Aue.